



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ephemeris Ecclesiastica Concionatorvm Hoc Est Considerationes Methodicæ Sev Veritates Practicæ

Ex Vita Domini Jesu, Sanctorumque Gestis In Singulos anni dies mira
facilitate & solertia distributæ ... ; Cum indicibus necessariis

Pars Avtvmnalis - A Dominica Decimaquinta post Pentecosten, ad
Adventum

Haineuve, Julien

Coloniæ Agrippinæ, 1665

Sic peccator perdendus est, ut peccatum, non peccator pereat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44846

ſapius, vel peccatum diminuit, ut ait idem ſanctus Doctor in eadem prima ſecundæ, quæſtione ſeptuageſima ſexta, articulo 4.

Malo igitur zelo bonum facere pejus ex ſe eſt quam bono zelo malum perpetrare. Potèſt vero ex accidenti contrarium evenire, quod eſt prudentis ad vertere. Quod autem non ſint omnino mala faciendâ ut eveniant bona, Vide in I. parte, die 2. Januarii, & cave ne hic falſo illudaris zelo, quod multis proclive eſt; Quamobrem ſit

TERTIA VERITAS PRACTICA.

Quo peccatum zelo perdendum eſt, hoc peccator eſt ſalvandus.

VEL SIC

Sic peccator perdendus eſt ut peccatum, non peccator pereat.

VEL SIC

Homo peccator ſic eſt perdendus, ut non homo ſed peccator perdatur.

RATIO horum omnium eſt, quia non aliter contra peccatorem agendum eſt quam ex vero zelo qui unam Dei ſpectet gloriam, longè procul à quo vis naturali affectu

Sed ille verus hoc exigit zelus qui in propoſitionibus continetur.

Ergo & vera ſunt, & in praxim revocanda, quoties in peccatum aut peccatores verbo vel factis agendum.

in c. 3. 400. Sic S. Auguſtinus de vero zelo: Non excuſis de areâ granum, ſuſcinet paleam ut intret in horreum, cum palea fuerit ſeparata. Itemque de verbo Domini ad Mulierem, vade & jam amplius noli peccare, DAMNAVIT, inquit, peccatum, non hominem: Intendant qui amant in Domino Manſuetudinem & timeant veritatem: etenim dulcis & reſus Dominus. Aptè Petrus Damiani de ſuavitate qua ſunt peccatores convertendi, alludens ad factum Eliſæi qui cum puerum mortuum baculo non potuiſſet ſuſcitare; tum per ſeipſum incumbendo illi, ſic ad vitam eum revocavit. Verba illius ſunt, Is quem terroris virga ſuſcitare non poterat, per amoris ſpiritum ad vi-

sam redit, dumque ſe parvulo accommodavit & compoſuit, facile erexit & ſuſcitavit.

Egregium hujus zeli exemplum eſt in Chriſto Domino apud S. Dionyſium Epistoſa 8. ad Demophilum ubi de S. Carpo non ſatis diſtinguente peccatum à peccatore quem ſimul cum peccato perditum voluiſſet. At Chriſtus illi Dominus quaſi rurfum in flagella paratus, Extenta, inquit, jam manu percuſe me, quia iterum paratus ſum pro peccatoribus pati. Videri etiam potèſt D. Bernardus ſerm. 2. in Reſurrectione Domini, ubi multa de affectu Compaſſionis in peccantes; Alioquin, inquit, in Spiritu vehementi conſerimus naſes Thearſis, conſerimus quaſſatum calamum, exinguimus linum ſumigans. Itemque in ſermone de S. Maria Magdalena: & ſuſius ſermone nono & duodecimo in Cantica, ubi de uberibus Sponſi, quæ ſunt meliora vino, fragrantia ungentis optimis de quibus & ſerm. 23. Cujus Verba referuntur infra commodius.

QUARTA VERITAS.

Accuſantis lingua velut novacula: niſi ſit illi tanta ſuæ linguæ cura, quanta eſt ſuæ manus curantis vulnus, Tortorem agit non Medicum.

RATIO EST. Quia in hoc differunt Tortor crucians corpus & Medicus ſanans, quod ille non niſi pœnam ſpectet & mortem, hic vero ſanitatem & vitam.

Sed niſi Accuſans tantam habeat lingua curam quantam habet ſua manus qui curat vulnus, pœnam accuſati & mortem civilem, qua ex infamia contrahitur, ſpectabit potius & inferet quam ullum ejus commodum.

Ergo Tortorem potius ager quam medicum; Quod quam ſit infame qui non ſentiat; Sic Scriptura paſſim, ſicut novacula acuta feciſti dolum. Id eſt, culter tonſorius ſeu ſcalprum chirurgicum. Dentes eorum arma & ſagitta, & lingua eorum gladius acutus. Quia tamen aperiendum ſæpè eſt & ſecandum peccati vulnus, idcirco ſic erga peccatorem ſe quiſque debet gerere ſicut Medicus vel Chirurgus erga vulneratum, cujus unam ſanitatem & vitam non dolorem non pœnam reſpicit, alioquin tyrannum & tortorem ager ut dictum eſt, contra quos hæc ſunt apud Prophetam pavenda Dei verba: Quod infirmum fui non conſolidaviſti, & quod agra-

Pſ. 165

Ex. 34